

An phlegmasiae albae dolentis certa sedes? specialis curatio? : theses quas, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ Parisiensi, praesentibus competitionis iudicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare contendet die secundâ januarii anni 1827 / auctor C. Dronsart.

Contributors

Dronsart, C.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Ex typographia E. Duverger, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/shnmznnf>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9.
1.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS
MAGISTRI INSTITUTA, ANNO 1826.

AN PHLEGMASIÆ ALBÆ DOLENTIS

{ CERTA SEDES?
SPECIALIS CURATIO?

THESES

*Quas, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ Parisiensi,
præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum
disputationibus subjiciet et dilucidare contendet die secundâ
januarii anni 1827,*

AUCTOR C. DRONSART.

PARISIIS,
EX TYPOGRAPHIA E. DUVERGER,

VIA VULGÒ DE VERNEUIL, N° 4.

M DCCC XXVI.

JUDICES CONCURSUS.

PRÆSES. D.	ESQUIROL.
	FOUQUIER.
	FIZEAU.
	ADELON.
JUDICES DD.	CAYOL.
	RÉCAMIER.
	JADIOUX.
	DE KERGADEDEC.
VICES GERENTES. DD.	CHOMEL.
	ROCHOUX.

COMPETITORES.

DD. PIORRY.	DD. BOUILLAUD.
BÉNECK.	DRONSART.
MARTIN SOLON.	WEST.
GUIBERT.	TROUSSEAU.
GIBERT.	DANCE.
BAYLE.	DALMAS.
LÉGER.	VALAT.

AN PHLEGMATIÆ ALBÆ DOLENTIS SIT CERTA SEDES? AN SPECIALIS
CURATIO?

Phlegmatia alba dolens doctoris White idem sonat ac *infarctus membrorum abdominalium in puerperis* doctoris Gardien; *apostemata lactea* Puzos; *infarctus lacteum*, *phlegmasia lactea* Levret, etc.; quibus nominibus auctoribus salutare placuit unius aut amborum membrorum œdema abdominalium, vel potius quamdam telæ cellularis phlegmasiam, sive simplex sit, sive eant comites noxæ plus minusve lethales. Quæ phlegmasia puerperas frequentior vexat, non ipsarum propria tamen, cum per graviditatem non semel à Puzos, quin et in mare à doctore Rayer fuerit observata. Utcumque sit, maximam cum Arabum elephantiasi, seu morbo Barbadum glanduloso nascenti consanguinitatem præ se ferre jamdudum notavit expertissimus Gardien. Cum autem ratum habuerit eximius observator Hendy Barbadum morbum in glandulis, et doctor Alard in vasis lymphaticis inesse, jam fluere videtur sponte suâ ut earumdem partium inflammatio habeatur phlegmatia alba dolens. At quæstio sub judice, quæ non nisi cadaveribus sectis elucidari potest.

Jean Godefroy Zinn glandulas inguinis schirrosas et venæ cruralis lumen angustissimum miratum fuisse testatur in feminâ cujus membrum vivens hydrope laboraverat. Haud secus, in feminâ quæ eodem morbo tentata fuerat, Tannton venas iliacam externam cruralemque coagulo sanguineo obturatas deprehendit. Cujus observati non absimile reperit Oldknow. Nil prætereà de telâ cellulari, glandulis vasisque lymphaticis. Quod si historiis istis adjicias quasdam inter observationes doctoris Bouillaud et Davis, compertum habebis nonnunquam puerperas quodam unius amborumve membrorum abdominalium hy-

drope vexari , cujus causa physica in venarum aut systematis lymphatici obturamento deprehendi potest , indè in loculis telæ cellularis lymphæ retentio et infarctus. An longè distat hydrops iste ab infiltrationem quâ nonnunquàm , teste doctore Gardien , afficiuntur feminæ cachectiâ laborantes, aut quæ deperditiones passæ sunt copiosissimas ? Cùm autem nequaquàm in historiis suprâ dictis de symptomatibus et cursu morbi, neque apud doctorem Gardien de noxis cadavericis mentio est , mens hæret incerta.

Utrumque judices , *phlegmasia alba dolens* mera , seu hydrophlegmasia puerperarum à Puzos , Levret , Doublet , White , Gardien perbellè adumbrata , alias in sectis victimarum cadaveribus alterationes exhibet. Et primùm noxæ telæ cellularis partis affectæ plus minusve mortiferæ occurrunt notandæ. Nunc quidem videre licet abcesculos hîc et illic sublimia inter et profunda musculorum strata disseminatos ; nunc autem abcessus vastos ima regionum clunalis , iliacæ , popliteæ plantarisve loca occupantes, undè per musculorum strata serpent. Quorum pus modò lac albidine mentitur (1) , nunc cinereum ; hîc fluidum , illic viscidum deprehenditur. Subcuticularis cæterùm tela cellularis sero obruitur copiosissimo ; haud aliter subperitonealis tela , et sæpius mesorecti nonnunquàm apostematibus serosis vel etiam seroso-purulentis infarcitur. Inflammatae occurrunt glandulæ inguinis et popliteidis lymphaticæ , nec non et vasa inter eas decurrentia ; in his quidem pus fuit detectum , vel etiam in canali thoracico. Ramos venæ cruralis profundos ejusque ramusculos , venas in pelvi habitantes , venas iliacas inflammatas cum parietibus crassissimis , aut saltem puro cum sanguine hîc et illic permixto redundantes , mirati sunt prosectores. Quam ultimam alterationem et in venâ cavâ inferiori non semel , quinimò et in atrio cordis dextero notârunt. Nonnullis in casibus valdè mobilis fuit pubis ossium symphysis , cujus cartilago inter-articularis mollita , ipsius autem fibræ sero san-

(1) Indè *apostemata lactea* Puzos.

guinolento vel etiam purulento disjunctæ. Item symphyses sacroiliacæ inflammatae, quod procul dubio suaserunt ligamentorum deglutinatio, crassitudo, et rubellus color, necnon et cartilaginum inter-articularium circum circa flavus color. Non semel superficies ossium femorum et coxarum articulares puri olidissimo innatantes viderunt, tandem et saniem fuscam in juncturâ femoro-tibiali contentam detexerunt.

Quid indè nisi nomine phlegmasiæ albæ dolentis designari plurimarum partium inflammatio consueverit? At nova lumina à symptomatibus et cursu morbi petamus. Initio morbi, auctoribus Puzos, Levret, Doublet, Gardien, doloris aut ponderis sensus in pelvi, mox in inguine, in parte cruris superiori, nonnunquàm et in membro universo plerumque et maximè secùs vasorum trajectum, ubi decurrunt lignæ rubellæ, tactûs vel levissimi impatientes. Uno aut duobus elapsis diebus, mitescit dolor, dùm erumpit tumor qui inguen primum invadens à superioribus ad inferiora progreditur.

Quid autem prodit dolor à pelvi incipiens? An semper symphysium phlegmasiam? Responsum in promptu est: non enim symphysium phlegmasia ab omnibus prosectoribus fuit reperta. Plerisque in casibus contrà inflammationis certa vestigia in pelvis systemate lymphatico et telâ cellulari apparuere. Indè concludi potest dolorem pelvis sæpiùs à telæ cellularis et systematis lymphatici quàm symphysium phlegmasiâ proficisci. Quòd si nunc membrorum symptomata spectes, fluctuat animus an systematis lymphatici aut venosi phlegmasiæ sunt tribuenda. Arduum est, fateor, judicium, cùm nonnulla plurimùm valeant observata ut opineris ab alterutrius systematis morbo posse nonnunquàm dimanare. Intereà si animadvertas haud rarò venarum parietes sanos fuisse deprehensos, adeoque pus quo redundabant absorptum potius quàm in ipsis natum videretur, mens inclinatur ut symptomata de quibus nuperrimè, sæpiùs tribuantur glandularum vasorumque lymphaticorum phlegmasiæ,

quæ prosectorum universorum punxit oculos. Quod suadere videntur sequentia :

1^o Symptomata ferè haud absimilia phlegmatiae albæ dolentis, si acerbitalatem excipias, à glandularum axillarium phlegmasiâ, patenti proficiscentia, testantur non semel observâsse in puerperis nonnulli auctores, è quibus expertissimus Gardien.

2^o « Venis phlegmasiâ laborantibus, tumet tela cellularis circumambiens; lymphaticis autem inflammatis, tumor jamjam invadit membrum totum.» (Hogson et Breschet, de morbis venarum et lymphaticorum dignoscendis.)

3^o Tandem pus in venis deprehensum fuisse dictum est, at pus in vasis circumvehi potest quin lumen obturet. Quod comprobant observata.

Cæterùm, quod attinet ad apostemata quæ suprâ innuimus, non nisi à telæ cellularis phlegmasiâ dimanare possunt. Hæc omnia cum mente reputem, observata interpretari mihi videor, dicens : phlegmatia alba dolens habenda est inflammatio quæ plerumque in plures simul partes manum injicit, et maximè telam cellularem systemaque lymphaticum ingruit. Indè eruas doctores Gardien et Mercier partem solummodò veritatis aperuisse, cum œdema puerperarum phlegmasiæ glandularum vasorumque lymphaticorum effectum voluerint. Non enim sufficit sola hæc inflammatio noxis venarum, apostematibusque quibus strata muscularia nonnunquàm sunt dissecta, explicandis. Jam propiùs veritatem accedit celeb. Antonius Petit, qui phlegmatiam albam dolentem habuit veluti phlegmonem quâ tamen magis lymphatica quàm sanguinea vasa infarciuntur; quam opinionem comprobârunt plerumque veram secta cadavera, uti suprâ.

CURATIO.

Veteres medici rati fuerant phlegmatiam albam dolentem lactis à vagatione proficisci; quo circà ire obviam ingressuræ aut debellare ingruentem contendebant remediis quæ nomine anti-lacteorum magnifico decorabant. Quorum sententiâ procul dubio explosâ, nos tamen recentiores dissimulare non possumus aliquid puerperarum morbis proprium practici pungere oculos; quod quidem non à lactis, sed elementorum præsentia certè dimanat. Itaque non dejicimus remedia vulgò et immeritò anti-lactea; at pro re natâ, nonnunquàm manu avarâ propinamus. Cæterùm curatio phlegmatiae albæ dolentis in duas partes dividi potest. Initio morbi, fuganda inflammatio tum venæ sectione, cum hirudinibus, necnon et cataplasmatibus aut fomentationibus circà partes dolentes impositis. Primum auxilium Puzos et Ant. Petit plurimi habebant; quod laudandum maximè est, ut membrum universum valdè dolet, et circà pelvim aut juncturas phlegmasiæ reconditur pestifer fomes. Intereà de hoc sobrietatem prædicat practicus Gardien, cum puerperæ, detracto sanguine copiosissimo, ad febrim adynamicam facilè vergunt; quod suadere videntur Doublet observata. Hirudines autem maximè prosunt circà genitalia appositæ, si lochia evanuerint, et secùs partem membrorum internam si dolor et rubor. Non semel audivi à prof. Fouquier, hanc medendi rationem in manibus suis quasi spes superâsse, et non in solo casu. Hanc addas observationem quam à doctore Trousseau accepi.

«Femina nutrix, quæ sex menses à puerperio optimè se habebat, prole à scarlatinâ jugulatâ, post quindecim dies elapsos corripitur doloribus in imâ pelvi cruciantibus, undè membrorum abdominalium secùs partem internam decurrunt. Quæ ultima pars tactûs valdè impatiens. Quin et accenderat febris ingens, et jam tumuerant membra, cum tertiâ die à morbo ingruenti, hy-

rudines copiosissimæ ab interno malleolo usque ad hypogastrium impositæ fuerint; quæ, adjuvanti apozemate dicto *le petit lait de Weiss*, citissimè morbum fugavêre. Neque est parvi auxilii succio mammarum naturalis aut artificialis. Hic tandem balnea tepida, clysmata mucilaginosa alvum quotidie lenientia, haud minus in primâ morbi periodo quàm cibi abstinencia et potus diluentes conferunt. Nonnulli corticem peruvianum dedêre, quem suadere videntur circuitus febris intermittens qui morbum nonnunquàm stipantur. Ut non semel profuerit, haud secùs in tabem pulmonarem cui it comes quasi mera febris intermittens quibusdam in casibus, equidem non refragatur ingenium. At remedium à naturâ morbi abhorret.

Quod si non victus fuerit morbus, aut phlegmasiâ tamen sopitâ, perseveret membrorum tumor, ad auxilium vocanda vesicantia, resolutiva topica à Puzos et Levret admodùm laudata; quæ quidem in periodo inflammatorio nocerent, plerumque nunc prosunt, scilicet fomentationes aromaticæ aut lessiviorum alcalinorum. Neque contemnendi potus aperitivi acetate aut sulfate potassæ conditi. Tandem morbo diuturnitate senescente, si primæ viæ benè se habeant, neque inflammatorius fomes reconditus in alvo lateat, danda sunt scilla, digitalis purpurea, purgantia necnon sudifica. Quùm autem ægra morbo valdè debilitatur, rhabarbarum et cortex peruvianus maximè prosunt.

Quæ curatio non solùm à practicorum experienciâ, sed etiam à naturâ morbi sectis cadaveribus elucidatâ, dimanat. Quùm autem assentiantur recentiores medici, indè eruas nullum remedium ad phlegmasiam albam dolentem curandam conferre specialiter.